

vers. 1. Galat. 4. vers. 4. 2 Legem Dei per Mo-
sen datam & Prophetas veteris Testamenti, qui
fuerunt illius interpretes, repudiat tanquam illius
sæui Dei ministros, & Deo Euangelii contrarios.
Attamen ab iis Christus ipse testimonium acci-
pit, Ioann. 5. vers. 39. 3 Christum ex Maria vir-
gine natum negat, vel hominem factum & verè
passum, sed tantùm simulatè & fictè. Denique sum-
mum impostorem facit Christum impius & blas-
phemus Cerdo, & totum salutis nostrę fundamen-
tum subruit. 4 Carnis resurrectionem negat,
quod nobis tanquam rancida Simonianorum re-
potia apponit.

3 *Sed iustum.*) Sic legendum, non autem vt
est in margine impressi codicis, Nec iustum. Iusti-
tiam enim Misericordiæ tanquam contrariam op-
ponebat, & negabat Deum, qui aliquas de sceleri-
bus hominum pœnas sumeret, esse misericordem,
quasi non benè inter has pulcherrimas virtutes,
Iustitiam dico & Misericordiam, conueniat. De-
nique vocem hanc, iustum, retinendam esse docet
locus Eusebii, qui est lib. 4. Histor. Eccles. cap. 11.
vbi fit hæc inter iustum & misericordem Deum
ἀντιθεσις, & vnde hic Augustini locus procul dubio
sumptus est. Cōfirmatur etiam autoritate Theo-
doreti, in lib. Epitome Diuinorum Decretor. cap.
Quod idem sit bonus & iustus.

CAP. XXII.

Marcionitæ vnde dicti. Vnum autem erroris
eorum caput describitur.